

racta est: nam cum superioribus diebus declarassent se domini Veneti apertos hostes Turci, heri qui fuit dies XXVIII (sic) mensis publice in eum indictum est bellum; praedicata enim fuit cruciata in platea S. Marci cum summa omnium expectatione et gaudio dominio et me presente cum incredibili populi multitudine. Decimae trigesimae et vigesimae decretae sunt et iam instituti exactores. Indulgentiae et absolutiones et dispensationes publicatae et omnes modi ad pecunias colligendas edicti.

Reliquum est, ut ad secundam partem veniatur, quibus scilicet modis, quibus auxiliis, quibus intelligentiis, quo tempore, qua via anno futuro in hostes grassandum sit. Suspisor et fere pro certo habeo hunc senatum ad aliquam particularem colloctionem non venturum nisi primo et quid in conventu oratorum istic decretum fuerit intellexerint et Peloponnesiacarum rerum exitum inspexerint et belli Picentis viderint finem; quod bellum nescio quam ob causam non minoris facere videntur quam bellum hoc adeo necessarium in Turcos.

Existimant de suo dumtaxat periculo illic agi maximumque inde rebus suis discrimen imminere etsi non nunc vivente S^{mo} D. N. tamen in futurum. Nec aliter potest eis aliquibus rationibus persuaderi. Quae cum ita sint rogo et obsecro R^{mam} D. V. ut S^{mo} D. N. supplicetis quod dignetur de his cogitare et mihi quid agere debeam mandare. An mihi redeundum sit an adhuc manendum, et si manendum quid mihi ultra agendum sit me particulariter instruere. Relatum est mihi nuper a prioribus urbis Rhodienses iniisse pacem cum Turco. Non potui fidem adhibere; verum litteras ex Chio nudius tertius accepi a quodam amico cui prudens est et rerum expertus quibus inter cetera non sine animi amaritudine scribit id verum esse et quanta inde Christianis omnibus ignominia, quantum partibus illis detrimentum sequatur exponit. Solvunt Turco tributum nomine tamen doni non tributum tria milia ducatorum et nunc donarunt ei in numeribus quinque milia. En finis quem pepererunt tot subsidia S. D. N. En gratitudo Rhodiensium erga summum pontificem.

Hic senatus composuit cum Scardabeo¹ hoc modo. Mittunt ei nunc quatuor milia ducatorum dono pro futura hyeme. Primo vere mittent hinc equites quingentos et pedites totidem; illinc vero praestabunt et subsidia hominum suorum circiter decem milia qui una cum suis Turco bellum inferant. Ioannis Cossa venit huc XXVII praesentis. Nescio quid aget. Multa et varia de multis rebus mihi referuntur: nonnulla etiam periculosa, quae quoniam incerta sunt non scribo. Si quis tamen alius foret qui ea scriberet S. D. N. vel R. D. V. non obesset: multis enim et variis cognitis, facilius esset bene cogitare.

Lo prega di scrivere presto.

Dat. Venetiis 28. Aug. 1463.

Orig. all'Archivio segreto pontificio. Loc. cit. f. 7.

¹ Skanderbeg.